

Tu igitur in virtute illius, a quo 'cuncta bona' procedunt⁵⁾ et qui, 'ubi vult, spirat'⁶⁾, confisus, suscipe hoc onus a nobis tibi impositum, in quo 'agrum' domini, ut solita est tua prudentia, colendo 'fructus uberes' reddes deo⁷⁾ et 'servus bonus' ab eo vocaberis⁸⁾, in cuius agricultura labores tuos impendes et qui 'centuplum' reddere consuevit.⁹⁾ Aderit enim tibi salvatoris nostri benignitas et te in hoc tam laudabili exercicio ita adiuvabit, ita diriget actus tuos, ut preter laudem et famam hominum eterna premia, que sola appetenda sunt, suscipere merearis.

43 a nobis tibi: tibi a nobis *K* 44 et(2): ei *T*.

⁵⁾ Vgl. *Eccle.* 3,11.

⁶⁾ *Iob.* 3,8.

⁷⁾ *Luc.* 12,16.

⁸⁾ *Matth.* 25,21 und 23; *Luc.* 19,17.

⁹⁾ Vgl. *Matth.* 19,29.

1450 Dezember 29, Rom St. Peter.

Nr. 954

Nikolaus V. an NuK apostolice sedis legato. Er beauftragt ihn, den Streit zwischen Eb. Dietrich von Köln und dem Hg. von Kleve beizulegen.

Or., Perg. (Bulle an Hanfschnur): KUES, Hosp.-Arch. 20.

Kop. (gleichzeitig): ROM, Arch. Vat., Reg. Vat. 394 f. 247r.

Druck: Raynaldus, Annales, ad a. 1450 n. 10 (Baronius-Theiner XXVIII 536); Martini, Nachträge 171-173.

Erw.: Hansen, Westfalen II 55; Krudewig, Übersicht IV 261 Nr. 24; Vansteenbergh 90 Anm. 2 und 137 Anm. 3; Pastor, Geschichte der Päpste I 468; Koch, Briefwechsel 13 Nr. 69.*

Nicolaus *usw.* dilecto filio Nicolao tituli sancti Petri ad vincula presbitero cardinali, apostolice sedis legato *usw.*

Cum procurante pacis emulo dissensiones et bella inter venerabilem fratrem nostrum Theodericum archiepiscopum Coloniensem et dilectum filium nobilem virum ducem Cliuensem dudum tempore felicis recordationis Eugenii pape iiii predecessoris nostri fuerint exorta, nos postmodum pro illis sedandis dilecto filio nostro Iohanni sancti Angeli diacono cardinali, cum ipsum pro certis arduis nostris et Romane ecclesie negociis ad Alamanie partes legatum nostrum destinavisse, inter cetera commisimus, ut pacem et concordiam inter archiepiscopum et ducem prefatos ponere et statuere procuraret. Qua in re tua quoque prudentia, cum esset in minoribus constituta, multum studii et opere impendit. Et cum nonnulla inter eos conventa ad pacem et ordinata fuissent, tamen nondum illius effectum vidimus, quem summopere desideramus. Cum igitur pax huiusmodi sit admodum nobis cordi, quoniam ex ipsis bellis et dissensionibus infinita pene mala sunt subsequuta et, nisi provideatur, securura videantur, nos cupientes, ut futuris bellis et scandalis, quantum nostra opera potest fieri, obvietur, circumspeditioni tue, quem ad easdem partes Alamanie nostrum legatum de latere presentialiter destinamus, ad civitates, terras, castra et loca ipsis archiepiscopo et duci subdita accedendi ac prefatos archiepiscopum et ducem ac alios, quorum interest, ad pacem et concordiam exhortandi et requirendi illamque inter eos practicandi, componendi et statuendi ac etiam, ut inter ipsos concordata et conventa hactenus firmiter observent, suadendi et monendi ac treugas interim ad tempus, de quo tibi videbitur, de consensu partium indicendi omniaque alia et singula faciendi, agendi et exequendi, que pro bono pacis huiusmodi consequendo noveris expedire, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica facultatem. Nos enim proculdubio in misericordia altissimi et in tua sapientia speramus, quod tuis exhortationibus et operibus intervenientibus optatum fructum dicte pacis et concordie consequemur.

(*Nur im Register:*) Gratis pro persona d. cardinalis.

1450 Dezember 29, Rom St. Peter.

Nr. 955

Nikolaus V. an NuK apostolice sedis legato. Er beauftragt ihn mit der Rückführung und Reform der Böhmen.¹⁾